

CIII.

R. 6* Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 256. f. maj. caractere crassiusculo, atro, luculento per duas columnas descriptus, literis initiorum auro et coloribus, ceterum minio distinctus *D. Pauli Epistolas* ita exhibet, ut Textus a Commentario multo minutius et compressius exarato circumdatus sit, ut in antiquioribus editionibus Corporum Juris civ. et can. Bibliorumque glossatorum videre est. Prologus inquit: *Principia rerum requirenda sunt prius. ut eorum notitia plenior possit haberi.* Itaque te aut *Ambrosiastrum* illum, qui ad calcem T. II. *Opp. Ambrosii* edit. *Maur. col. 25.* extat, aut *Rab. Mauri* Expositionem in *Paulinas* prae manibus habere putes. Verum sequitur mox: *Si ergo epistolarum scripture post euangelium edite modum et rationem ostenderimus. poterit videri uerum quod dicimus. Sciendum igitur quod sicut in ueteri testamento post legis moysayce eruditionem. ubi culture diuine mandata continebantur, prophetica doctrina fuit necessaria &c.* Hinc *Petrum Lombardum*, ejusque, ut fert inscriptio edit. *Parif. 1547. 8. Collectanea in omnes D. Pauli Apostoli Epistolas; ex DD. Augustino, Ambrosio, Hieronymo &c.* contexta agnoscas, quae in alia antiquissima *Argentinesi Job. Mentelini*, ut videtur, editione f. penna miniata *Glossa ordinaria* praenotantur. Atque e praedictis mox Patribus *Petrum* plurima sua

depromfisse etiam *Codex* noster indicat, nominibus *Aug. Jer. Ambr.* in superiore cujusvis paginae ora conspicuis. Cur vero Noster Translationem suam iisdem sententiis, quibus memoratus *Ambrosiafter*, et post eum *Rabanus*, auspicari voluit? Periculo certe suo, apud eos, qui lectis primis *Codicum* lineis illico de Autore statuere amant. Exemplum nostrum integerimum et sane splendidum in *Epistola ad Hebr.* hisque verbis definit: *Gratia, id est, purgatio peccatorum et alia dei munera sint cum omnibus uobis Amen. Explicit.* E theca membranea, cujus dorso Titulus Operis nunc extritus more *hispanico* per longum decurrebat, suspicor *Codicem* cum Bibliotheca *Cardoniana Palatinae* illatum fuisse.

CIV.

U. 15 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 182. f. eleganter perscriptus et rubricis distinctus complectitur omnes *D. Pauli Epistolas* ita, ut Textus grandiusculus lineis laxis mediam columnam teneat, *Walafridi Strabi Glossa* dicta *ordinaria* utrinque margines occupet, *Anselmi Laudunens.* dicta *interlinearis* Textui superimponatur, ut videre est in Editionibus *Bibliorum glossatorum*, in quibus etiam comparent *Argumenta* illa, quae in *Codice* nostro singulis *Epistolis* praefiguntur. Ita ad Romanos: *Romani sunt in partibus italiae &c.* ubi Noster legit a falsis

falsis prophetis pro Apostolis, et: ad ueram et euangelicam fidem pro ueram euangelicam &c. Post Epistolam ad Hebraeos adscripta est eadem manu Spuria ad Laodicenses absque Glossa, et imperfectior, quam quidem edita a Fabricio in Cod. Apocr. N. T. p. 873. item caractere valde minuto per duas columnas Prologus quidam in omnes, ut videtur, Pauli Epistolas, qui incipit: In exordio epistolarum quedam sunt requirenda generalia et quedam specialia. Generalia sunt que spectant ad totum corpus epistolarum &c. Mox dicitur: Multe enim questiones ut de matrimonio et electione pontificis hodie fierent, nisi ab apostolo soluendo forent preuente. Recentiora tempora haec respiciunt, cumque in Allegoria Jeremiae in lacum missi deinceps addatur: Adimelech eunuchus significat ordinem predicatorum qui dicuntur eunuchi quia semetipsos propter regnum celorum habendum eunuchizauerunt &c. suspicatus sum Autorem ad

*Romam prima, due post banc uenere corinthum,
Quarta manet galathas et quinta fit ephebianis,
Sextaque philippis et septima missa coloffis.
Octauam nonamque tenent thessalonicenses.
Bina timotheum, thitum post una salutat,
Deinde philemoni, post paulus scribit ebreis.*

Adjecit in margine ridiculus interpres: Ad corinthos *gen chärnten zal.* Ad galathas *gen peraw.* Ad ephesios *gen türkey.* Ad philipenses *gen philips zal.* Ad colonicenses *gen gölczal.* Ad thesalonicenses *gen zalnek.* Expositionis ad Rom. initium est: *More scribentium*

FF. Praedicatores pertinere, nihil tamen egi; neque enim *Thomas Aqu.* aut *Nic. Gorramus,* aut *Petr. de Tarentasia,* aut *Petr. de Palude* Commentaria sua in *Paulum* ita ordiuntur. Itaque rem in medio relinquo. Ultima Prologi hujus sunt: *Ad ultimum instruit de moribus et ita terminat tractatum suum uel epistolam.*

CV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 155
Folior. 266. f. fat bene ita perscriptus, ut angustiolem columnam occupet Textus, latiorelem uero Commentarius. Est uero Textus *Epistolarum D. Pauli,* Commentarius autem e variis Patribus et Interpretibus, praecipue *Ambrosio,* *Augustino* et *Haymone Halberstad.* ad instar *Glossae ordin.* quae etiam delibatur, conflatus. Prooemium ita inquit: *Sicut prophete post legem, sic et apostoli post euangelium recte scripserunt. &c* Subditi sunt hi uersus *μνημονευτικοί*